



# Dissertatio juridica inauguralis de deposito


<https://hdl.handle.net/1874/291129>

5

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**DEPOSITO.**

QUAM  
DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
**JOANNIS DAVIDIS HAHN,**  
Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-  
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON  
*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque*  
*Splendidissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,  
*Eruditorum Examine submittit*  
WILHELMUS VAN DEN BERG, W. F.  
MOCHANUS EX ARABIA FELICE.  
A. D. 24. Maji, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,  
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELLET,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISSERTATIO JURIDICA  
IN AUGURALS  
DE  
DEPOSITO.

ADAM  
DUCE ET AUSTICE DEO T. O. M.  
JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Magistri & Med. Doct. Publici, Physici & Anatomici  
in Universitate Friderici Ordinis  
in Göttingen  
Magistri & Auctoris Academici, Juris Doctoris  
in Universitate Friderici Ordinis  
in Göttingen  
Magistri & Auctoris Academici, Juris Doctoris  
in Universitate Friderici Ordinis  
in Göttingen  
Magistri & Auctoris Academici, Juris Doctoris  
in Universitate Friderici Ordinis  
in Göttingen  
Magistri & Auctoris Academici, Juris Doctoris  
in Universitate Friderici Ordinis  
in Göttingen



ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLV.  
EX OFFICINA JOANNIS BRODDELI.  
DIRECTIO AD RHEINUM.

VIRO SPECTATISSIMO

D. JOHNNI HENRICO GULDENAAR,  
VITRICO INDULGENTISSIMO PATRIS LOCO  
HONORANDO.

NEC NON

CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS, INGENIQUE  
ATQUE ERUDITIONIS LAUDE CELEBERRIMIS  
VIRIS

D. JACOBO VOORDA, JCTO  
JURIS CIVILIS ET HODIERNI, IN ALMA HAC  
ACADEMIA, ANTECESSORI ORDINARIO.

D. GOTHOFREDO HOUCK, JCTO  
JURIS ANTECESSORI ORDINARIO PRÆCEP-  
TORI SUO NUNQUAM NON COLENDO, PRO-  
MOTORI EXOPTATISSIMO.

D. PETRO WESSELING, J. U. D.  
JURIS NATURALIS ET PUBLICI ROMANO-  
GERMANICI, UT ET HISTORIARUM, ELO-  
QUENTIÆ, ET GRÆCÆ LINGUÆ PROFES-  
SORI ORDINARIO.

*Hanc dissertationem*

D. D. D.

WILHELMUS VAN DEN BERG, W. F.

VIRO SPECTATISSIMO

D. JOHANNI HENRICO GULDENHAAR  
VITRICO INDULGENTISSIMO PATRIS LOCO  
HONORANDI

NEC NON

CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS, INGENIUM  
ATQUE ERUDITIONIS LAUDE CELEBRISSIMIS

VIRIS


D. JACOBUS VORDA, Jcto  
JURIS CIVILIS ET HODIERNI, IN ALMA HAC  
ACADEMIA, ANTECESSORI ORDINARIO

D. GOTTFRIEDO HOUCK, Jcto  
JURIS ANTECESSORI ORDINARIO PRÆCEPTORI  
SUI SUO IN UNGARIA NON COLLEGI, PRO-  
MOTORI EXOPTATISSIMO

D. PETRO WESSELLING, J. U. D.  
JURIS NATURALIS ET PUBLICI ROMANO-  
GERMANICI, UT ET HISTORIARUM, LINGUE  
GÆCÆ, ET GRÆCÆ LINGUÆ PROFES-  
SORI ORDINARIO

Hanc dissertationem

WILHELMUS VAN DEN BERG, W. F.



DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

DE

DEPOSITO.

§. I.

*uri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat. verba sunt Ulpiani in l. 1. princ. ff. de just. & jure. Nobis igitur de contractu Depositi acturis examinandum paucis erit, unde Depositi vocabulum descendat. Paulus lib. 2. sentent. recept. tit. 12. §. 2. Depositum dictum putat quasi diu positum; verum hæc allusio stoica potius est, quam grammatica derivatio, Ulpianus in l. 1. princ. ff. hoc tit. verbum deponere ex de & ponere deducit, & præpositionem de vim vocis intendere autumat,*

A

quia

## 2 DISSERTATIO JURIDICA

quia omne, quod ad rei custodiam spectat, commissum est fidei ejus, apud quem deponitur. Interim tamen, quamvis non male sic derivet Ulpianus, mallet cum Menagio in *amœnitat. jur. civ. cap. 39. Depositum* derivare, quod humi vel deorsum poni soleat.

### I. I.

*Depositum* vocabulum modo accipitur pro re deposita, ut in *l. 1. princ. ff. hoc tit.* quo sensu definitur a Cujacio in *recitat. C. hoc tit.* quod quis sine mercede servat: modo sumitur pro contractu quo res deponitur. §. 2. in *fin. inst. de jure nat. gent. & civ. l. 7. §. 1. ff. de pact.* ac tum vocatur etiam *Depositio l. 1. §. 2. & 22. l. 5. §. 2. l. 17. §. 1. ff. hoc tit.* Atque hæc posterior significatio est hujus loci, ac tum describi solet depositum, quod sit *contractus nominatus, juris gentium, bonæ fidei, re constans, quo res mobilis alicui gratis custodienda traditur.* Quam Definitionem verbulo explicare lubet.

### I I I.

*Depositum* dicitur *contractus*; quia est duorum plurumve conventio, & vi sua ultro citroque obligatio-

gationem & actionem parit. *l. 19. ff. de verb. signif.*  
 & quidem est contractus *nominatus*, habet enim  
 certum nomen, quod huic contractui soli pro-  
 prium est.

Depositum est contractus *juris gentium*; est  
 quippe hujusmodi contractus, qui & aliis genti-  
 bus in usu fuit, & à Romanis receptus.

Est *bonæ fidei*; quoniam est contractus bilate-  
 ralis, quales bonæ fidei esse solent: ipse quoque  
 Ulpianus in *l. 1. §. 23. ff. hoc tit.* dicit, dubitan-  
 dum non esse, quin bonæ fidei sit: accedit insu-  
 per, quod actio depositi a Justiniano in *§. 28. Inst.*  
*de action.* inter bonæ fidei actiones recenseatur.  
*Re constans*; in Deposito enim præter consensum  
 debet intercedere rei traditio. *l. 1. §. 5. ff. de ob-*  
*ligat. & act. §. 3. Inst. quib. mod. re contrab. obligat.*

*Res mobilis*; res enim immobilis deponi nequit.

I V.

Controversitur tamen inter Interpretes, an non  
 & rei immobilis Depositum sit. Adfirmant hoc  
 inter alios Hunnius ad *Treutler. vol. 1. disp. 26.*  
*quest. 6.* & Voet in *Comm. ad hunc tit. ff. num. 3.*  
 Negant vero Wiffembachius in *disput. 31. ad Pand.*  
*num. 11.* Bockelmannus in *Comm. ad hunc tit. ff.*



num. 4. Ulr. Huberus in *Prælect. ad tit. Inst. quib. mod. re contr. oblig. num. 12.* nec non Clar. Schultingius ad *Paul. lib. 2. sent. recept. tit. 12. §. 7. not. 11.* quorum sententia nobis verior & juris rationi convenientior videtur.

I. Quia nullibi in jure nostro, ubi de Deposito ex professo agitur, rei immobilis depositæ (quantum equidem sciamus) mentio fit; jam vero, si & res immobiles deponi possent, ejus rei mentio hic aut illic injecta fuisset.

II. Quod in *l. 1. princ. ff. hoc tit. & §. 3. Inst. quib. mod. re contr. obl.* & alibi tales inveniantur locutiones, quæ aperte satis declarant, depositum non esse, nisi res deposita de loco in locum transferri queat; atqui hoc non quadrat in res immobiles. Accedit etiam, quod is, qui rei immobilis custodiam suscipit, non tam patiat rem apud se esse, quam obliget se ad factum aliquod, id quod naturæ Depositi adversatur; siquidem Depositarius patiat rem apud se esse, non vero ad factum se obliget.

V.

Illi tamen, qui dissentiunt, uno alterove argumento sententiam suam probare nituntur; & quidem

I. Pro.

I. Provocant ad *l. 186 ff. de verb. signif. & l. 24. ff. hoc tit.* ubi docetur, *deponere* nihil aliud esse, quam *commendare* rem alterius fidei; hinc sequitur, inquit, æquæ immobilem ac mobilem rem deponi posse; quoniam & immobilis res alterius fidei commendatur. Sed considerari velim, Ulpianum in *d. l. 186.* nihil aliud dicere voluisse, quam in Edicto, quod explicabat, verbum *commendare* poni pro *deponere*, non vero indicasse eum, vocabula hæc semper synonyma esse: quod ad *d. l. 24.* ibi quidem dicitur, *commendare* nihil aliud esse quam *deponere*, sed hoc dicitur tantum in relatione ad epistolam præmissam.

II. Adversarii nostri hoc modo argumentantur: res immobilis æque ac mobilis custodienda tradi potest. *l. 38. princ. ff. de damno inf.* atqui depositum toties est, quoties res custodienda traditur. *l. 1. princ. ff. hoc tit.* ergo æque rei immobilis ac mobilis Depositum est. Respondemus, in *d. l. 1. princ.* non plene Depositum naturam describi, ipse enim Ulpianus alibi tradit, Depositum tum demum esse, si res de loco in locum transferatur.

III. Opponitur nobis *l. 1. §. 33. ff. de vi & vi arm.* ubi docetur, interdictum de vi armata pertinere etiam ad res depositas, hoc, dicunt, intelli-

gi nequit de rebus mobilibus, sed tantum immobilibus, si quidem ex §. 6. *ejusdem legis* certum sit, hoc interdictum unice pertinere ad res immobiles: sed respondemus, quod in *d. §. 6.* dicitur, interdictum de vi armata ad res mobiles non pertinere, sic intelligendum esse, quod principaliter ad res mobiles non pertineat, licet accessorie ad eas pertinere possit: sic v. g. si quis de possessione ædium vi dejectus sit, interdicto de vi armata principaliter recuperabit ædium possessionem, atque accessorie omnes res mobiles, quæ dejectionis tempore in ædibus fuerunt.

## V I.

Solæ igitur res mobiles deponi possunt, non tantum propriæ sed & alienæ, usque adeo, ut & furac prædo deponere queant. *l. 1. §. 39 ff. hoc. tit.* sic tamen, ut, si cum domino concurrant, is præferendus sit. *l. 31. §. 1. ff. eod.* Potest quoque Depositarius rem apud se depositam apud alterum deponere. *l. 16. ff. hoc. tit.* non tamen apud ipsum dominum deponi potest, etiamsi dominus ignoraverit. *l. 31. in fin. ff. hoc. tit.* Neque enim pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest. *l. 45. princ. ff. de R. J.*

## VII.

## V I I.

Additur ulterius in Definitione, hunc contractum *gratuitum* esse debere; & merito: si enim merces interveniat, in aliud contractus genus degenerat, & quidem, si merces in pecunia numerata consistat, locatio conductio est, si in alia re, contractus innominatus. *l. 1. §. 8. & 9. ff. hoc tit.* Interim tamen, quamvis mercedem respuat hic contractus, pretium tanquam honorarium remunerandi gratia dari poterit. *l. 2. §. 24. ff. de vi bon. rapt. Custodienda*; unicus quippe Depositi finis est custodia. *l. 1. princ. ff. hoc tit. §. 3. Inst. quib. mod. re contr. obl.* si ergo alia causa accesserit, non erit Depositi, sed aliud contractus genus, ut mutuum, vel mandatum, quales casus proponuntur in *l. 1. §. 11. 12. 13. & 14. ff. hoc tit.*

## V I I I.

Subjicitur tandem in Definitione verbum *traditur*, & merito, quoniam sola detentio custodiae causa transfertur in depositarium, non item possessio. *l. 17. §. 1. ff. hoc tit. l. 9. ff. de rei vindicat.* Id quod de civili possessione intelligendum esse nemo nescit: Quod dicimus, Depositarium non possidere,

§ DISSERTATIO JURIDICA

fidere, usque adeo verum est, ut ne quidem sequester possideat rem, quæ apud ipsum sequestrata est. *l. 17. § 1. ff. hoc. tit. l. 39. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Exceptio tamen est in casu, quo possessio ipsa apud sequestrem est deposita; tunc enim hoc agitur, ut possideat; hinc dicitur in *d. l. 39.* interesse, qua mente depositio apud sequestrem sit facta. conf. *Clar. Voet in Comm. ad hunc tit ff. num. 12. & Cl. Noodt in Comm. ad eund. tit. pag. 365.* Insuper neque usus rei depositæ transit in Depositarium, in tantum, ut ne quidem pacto hoc effici possit; siquidem nihilominus degeneret in mutuum aut commodatum. *l. 1. § 34. & 35. ff. hoc. tit. nisi permittente domino re deposita utatur. l. 29. § 1. ff. hoc. tit.* quamvis hujusmodi negotium ordinarios Depositi terminos excedat. *l. 24. l. 26. § 1. ff. hoc. tit.*

L X.

Exposita Definitione ad Divisiones Depositi transeundum nobis erit. Dividitur autem in *Depositum in specie sic dictum*, & *sequestrationem*.

*Depositum in specie sic dictum est rei mobilis, non litigiosæ, facta depositio, ut eadem Deponenti, quandocunque ei libuerit, in specie restituatur.*

Rei

*Rei mobilis*; rem enim immobilem deponi non posse, vidimus jam §. 4. & 5.

*Non litigiosa*, quæ verba propterea Definitioni inseruntur, ut appareat differentia inter Depositum in specie sic dictum & sequestrationem, de qua inferius agendum erit.

*Ut eadem in specie restituatur*; quum enim in hoc contractu sola rei custodia transferatur, sponte sequitur, Depositario jus non esse aliam rem pro alia restituendi; nisi aliud actum sit: casus exstant in l. 24. & l. 25. §. 1. ff. hoc. tit. si cista deposita sit, non modo ipsa cista, sed & res ei inclusæ atque obsignatæ sunt restituendæ. l. 1. §. 41. ff. hoc. tit. ex qua patet, inter veteres JCTos disputatum fuisse, an Depositarius cistæ clausæ & obsignatæ restitutione defungi posset, an vero & restituere deberet res cistæ inclusas, & posterius placuit, (ut modo diximus) ita tamen, ut, si nulla suspicio contra Depositarium militaret, jurejurando præstito cistæ restitutione defungi posset. d. l. 1. §. 41. juncto §. 40. eod.

*Quandocunque ei libuerit*: hæc verba Definitioni ideo inseruntur, ut significetur, Deposita in specie sic dictum omni tempore repeti posse, in tantum, ut dolo faciat is, qui rem depositam su-

scepit, si illam reposcenti non reddat. *l. 1. §. 22. ff. hoc tit.* Adhæc ne quidem pacto contrarium conveniri potest; licet enim certum tempus a contrahentibus præstitutum fuerit, Deponens nihilominus ante illud præfinitum tempus rem depositam repetere poterit. *l. 1. §. 45. & 46. ff. hoc tit.* Depositarius autem ante determinatum tempus officium deponere nequit. *l. 5. §. 2. ff. hoc tit.* Ratio, cur Deponens ante tempus præfinitum rem depositam repetere possit, in eo posita esse videtur, quod Depositum sit hujusmodi contractus, qui solius Deponentis commodum contineat, adeoque Depositarii non intersit, rem invito Deponente retinere, quum e contrario Deponentis plurimi interesse possit, rem a se depositam sibi restitui.

Porro & illud notandum est, rem depositam restitui debere integram, non deterioratam; si enim res deposita deterior reddatur, quasi non reddita, depositi agi potest: cum enim deterior redditur, potest dici, dolo malo redditam non esse. *l. 1. §. 16. ff. hoc tit.*

## X.

*Depositum in specie dictum est duplex, nempe simplex & Miserabile. Depositum simplex est, quod sine evidenti necessitate ex mera contrahentium voluntate fit. Depositum Miserabile est, quod fit ex necessitate, propter metum instantis alicujus periculi, velut incendii, ruinæ, tumultus, naufragii. l. 1. §. 1. 2. & 3. ff. hoc tit. §. 17. Inst. de action. Ex hoc Deposito miserabili Prætor dat actionem in duplum adversus Depositarium, si Depositum inficietur; quum ex Deposito simplici tantum det actionem in simplum. l. 1. §. 1. ff. hoc tit. Ast quæ est hujus distinctionis ratio? Justissima sane; si quidem is, qui sine necessitate deponit, occasionem habeat idoneam personam eligendi, cujus fidei rem committat; sed qui ex necessitate propter imminens aliquod periculum deponit, non habet tempus deliberandi, apud quem deponere velit; adeoque ex illa mentis perturbatione primo occurrenti sæpe res suas custodiendas tradit, qui si id factum neget, crescit perfidiæ crimen, & publica utilitas coercenda est, vindicandæ Reipublicæ causa. l. 1. §. 2. & 4. ff. hoc tit.*



Hanc vero actionem in duplum Prætor quoque dedit contra Depositarii heredem, qui dolo malo Depositem miserabile inficiatur; sed ex defuncti inficiatione tantum in simplum atque intra annum, & pro ea parte, qua heres existit. l. 1. §. 1. l. 18. ff. hoc tit.

## X I.

*Sequestratio seu sequestrum est Depositem rei litigiosæ apud sequestrem a pluribus in solidum factum; ea lege, ut lite pendente custodiatur, finita vero lite victori restituatur. l. 5. §. 1. l. 6. l. 17. ff. hoc tit.*

*Sequester vero est vir bonus, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos; qui contendunt committitur. l. 110. ff. de verb. sign. quæ tamen magis est allusio, quam grammatica derivatio: analogice enim sequester descendit a secus quasi secuster, quia intercedit litigantibus ipse neutrarum partium, semotus ab utroque, aliusque atque litigantes: est hæc derivatio proposita a summo Viro Joan. Fred. Gronovio ad Tacit. lib. 3. annal cap. 71.*

Inter sequestrum & Depositem in specie sic dictum non una est differentia: illud quippe versa-  
tur

tur circa res litigiosas, hoc circa res non litigiosas; in hoc unus deponere potest, in illo plures desiderantur. l. 6. l. 17. ff. hoc tit. l. 110. ff. de verb. signifi. præterea in hoc quovis tempore Deponens rem repetere potest, in illo non nisi post sententiam. In eo vero conveniunt, quod in sequestram æque ac Depositarium nuda tantum rei detentio transferatur, & neuter interim ex ea re utilitatem percipere possit. l. 17. §. 1. in fin. ff. hoc tit. nisi aliud actum sit. l. 39. ff. de acquir. vel amitt. possess.

X I I.

Dividitur sequestratio in *Voluntariam* & *Necessariam*. *Voluntaria* est, quando partes mutuo consensu rem litigiosam apud alium deponunt. l. 6. l. 17. princ. ff. hoc. tit.

*Necessaria* est custodia rei litigiosæ decreto iudicis ex justa causa alicui demandata, sive altera sive utraque parte invita.

De hac necessaria sequestratione quæritur, utrum inter species Depositi referenda sit, quod nobis negandum videtur, quia Depositum est contractus; omnis vero contractus est conventio, omnis conventio est duorum vel plurium in idem

placitum consensus ; jam sequestratio necessaria fieri potest invita parte utraque ; non igitur adest conventio, ubi non est conventio, ibi non est contractus, adeoque nec Depositi.

Cæterum sequestratio necessaria regulariter est prohibita, quæ prohibitio non tantum in pecunia numerata obtinet, sed & aliis corporibus sequestrandis, *l. ult. C. de rei vind.* hujus vero prohibitionis ratio in eo posita esse videtur ; quia in hac necessaria sequestratione lis quodammodo ab executione inchoetur, quod temere fieri non debet. *l. 58. ff. de re judic. l. ult. C. de exsec. rei jud. conf. Ulr. Huberus in Prælect. ff. h. tit. num. 3. & seqq.* Interim tamen dantur casus, quibus hæc sequestratio necessaria permixta est : casus illi sunt

1. Si quis de fuga suspectus satisfacere nolit. *l. 7. §. 2. ff. qui satisfac. cog.*

2. Si quis rem, de qua lis est dilapidet, aut justus dilapidationis metus adsit. *l. 21. §. ult. ff. de appellat. l. 22. §. 8. ff. soluto matrim.*

3. In cognitione quæstionis status. *l. ult. in fin. C. quib. ad libert. proclam. non lic.* vel si qua alia justa causa sequestrationem necessariam postulet. vid. *l. 5. C. quor. appellat. non recip. l. ult. §. 1. ff. de requir. vel abs. damn. l. 20. §. 1. C. de agric. & cens.*

## XIII.

Deponere possunt omnes, qui & contrahere possunt, quique nec *natura* nec *lege* prohibentur.

*Natura* prohibentur infantes, furiosi, mente capti. *l. 12. princ. ff. de reb. cred. l. 24. princ. ff. de O. & A.*

*Lege* prohibentur omnes illi, qui absque tutorum curatorumve consensu contractum celebrare nequeunt: tales sunt pupilli infantia maiores, qui sine tutoris auctoritate conditionem suam deteriorem facere, id est se aliis obligare nequeunt. *princ. Inst. de auctor. tut. minores viginti quinque annis curatorem habentes. l. 3. C. de in int. restit. min. nec non prodigi, quibus a magistratu bonis interdictum est. l. 6. ff. de O. & A.*

## XIV.

Depositum suscipere possunt omnes, qui obligari contrahendo possunt: ac proinde potest etiam deponi apud filium fam. *l. 1. §. 42. l. 21. pr. ff. hoc tit. nec non apud Servum. l. 1. §. 18. & 42. l. 21. §. 1. ff. hoc tit.* Apud pupillum vero non nisi tutore auctore deponi potest, *argum. princ. Inst. de auctor. tut.* quod si sine tutoris auctoritate deponatur, actio depositi tum demum datur, si pupillus doli

ca-

capax dolum commiserit, aut si locupletior ex deposito sit factus *l. 1. § 15 ff. hoc. tit.* Apud dominum plane res sua deponi nequit, ut depositi actio inde nascatur. *l. 15. ff. hoc. tit.* qua de re jam vidimus §. 6

Olim vero Romanis solenne fuit in æde sacra deponere; exempla occurrunt in *l. 1. §. 36. & 37. ff. hoc. tit. l. 5. in fin. ff. fam. ercisc. l. 77. §. 26. ff. de legat. 2.* Aliquando etiam apud nummularios *l. 7. §. 2. ff. hoc. tit.* item argentarios. *l. 8. ff. hoc. tit.* ordinario tamen apud privatos.

## X V.

Effectus Depositi est obligatio, quæ parit actionem; & quum mutua sit obligatio, ab utraque etiam parte nascitur actio.

Ex Deposito in specie dicto nascitur *Actio Depositi directæ & Contrariæ*, ex Sequestratione *Actio Sequestrariæ Directæ & Contrariæ*.

*Actio Depositi Directæ* est actio civilis, personalis, bonæ fidei, quæ competit Deponenti, ejusque heredi, adversus Depositarium, ejusque heredem, ad rem depositam in specie restituendam cum omni causa, & resarciendum damnum dolo & lata culpa datum.

Civi

*Civilis*, quia primitus jure civili, non Prætoris Edicto est inducta, quamvis tamen Prætor eam multum mutaverit, vid. Paul. lib. 2. *recept. sent. tit. 12.* & Boekelm. in *Comm. ad hunc tit. ff. num. 13.*

*Personalis*, venit enim ex contractu. §. 3. *Inst. quib. mod. re contr. obl.* jam vero omnes actiones, quæ ex contractu descendunt, sunt in personam. §. 1. *Inst. de action.*

*Bonæ fidei l. 1. §. 23. ff. hoc tit. §. 28. Inst. de action.*

*Quæ competit Deponenti*, sive dominus sit rei depositæ, sive non, unde etiam furi aut prædoni hæc actio competit. l. 1. §. 39. ff. *hoc tit.* nisi alius petat, cujus justior sit petitio, quo casu furi aut prædoni non competit. l. 31. §. 1. ff. *hoc tit.* Datur etiam domino servi deponentis. l. 1. §. 17 ff. *hoc tit.* & perinde est, utrum servus vivat, nec ne l. 1. §. 30. ff. *hoc tit.* Ipse autem servus manumissus non poterit agere: sed si alienatus fuerit, depositi actio ei competit, cujus servus fuit cum deponeret; initium enim contractus spectandum est d. l. 1. §. 30.

Si servus hereditarius deposuerit, actionem adquiret hereditati Jacenti, & per illam heredi futuro. l. 1. §. 29. ff. *hoc tit. l. 9. C. eod. tit. l. 16. ff. de O.*

§. A. Competit quoque hæc actio Fisco, si bona Deponentis ad eum pervenerint. *l. 31. princ. ff. hoc tit.*

*Ejusque heredi*, nec non bonorum possessori, cæterisque successoribus. *l. 1. §. 19. §. 46. ff. hoc tit.* si plures sint heredes, quæritur, cui res deposita restituenda sit? Et dicendum est, cum Ulpiano in *l. 1. §. 36. ff. hoc tit.* distingui debere inter casum, quo res deposita est dividua, atque inter casum, quo est individua: priori casu singulis pro hereditaria portione restituenda est; posteriori vero casu singulis; posteriori vero casu actio Depositi unicuique heredi in solitum datur, modis is, qui hac actione experitur, satisfactionem idoneam præstet, de restituendo eo, quod supra ipsius partem est, quam satisfactionem si actor non præstet, res in æde sacra deponitur, ac Depositarius omni actione liberatur, *d. l. 1. §. 36.* si tamen, mortuo Deponente, duo existant, qui inter se contendant, unusquisque solum se heredem dicens, ei tradenda erit res, qui Depositario cavet, eum defensum iri; quod si neuter hoc onus suscipiat, Depositarius non cogendus erit a Prætorè iudicium suscipere, eoque casu rem in æde aliqua de-

deponere debet, donec de hereditate iudicetur. *l. 1. §. 37. ff. hoc tit.*

XVI.

*Adversus Depositarium*, scilicet omnem, qui vel ex consensu, vel ex re obligari potest; adeoque non datur adversus pupillum, apud quem absque tutoris auctoritate res est deposita, nisi doli capax sit, & dolum in re deposita commiserit, aut inde locupletior factus sit. *l. 1. §. 15. ff. hoc tit.* hoc vero posteriori casu utilis Depositi actio ex Rescripto D. Pii adversus pupillum datur, in quantum locupletior est factus, *argum. l. 1. §. 2. & l. 3. princ. ff. commod.* competit etiam hæc actio adversus dominum servi & patrem filiifam. qui Depositum suscepit, non tantum ex dolo servi aut filiifam. verum etiam ex dolo ipsius domini aut Servi. *l. 1. §. 42. ff. hoc tit.* interim tamen dominus vel pater duntaxat actione de peculio conveniri poterunt. *l. 5 princ. ff. hoc tit.* Ulterius datur Depositi actio adversus manumissum. *l. 21. §. 1. ff. hoc tit.* quod singulare est, quum alias manumissus ex contractu in servitute inito non conveniatur post manumissionem. *d. l. 21. §. 1.* Porro datur in filium emancipatum, si rem depositam teneat. *d. l. 21. princ.*



## 20 DISSERTATIO JURIDICA

Diximus superius in §. 6. Depositarium rem apud se depositam apud alterum quoque deponere posse: hinc quaeritur, an tali casu primus Deponens adversus secundum Depositarium actionem Depositi instituere possit? Quod omnino negandum est, siquidem inter eos nullum negotium intercesserit: interim tamen primus Deponens rem, si exstet, vindicare poterit. *l. 8. Cod. hoc tit.* Ictus vero Africanus existimat, si secundus Depositarius dolum commiserit, ob dolum ejus haec teneri primum Depositarium, ut primo Deponenti actiones suas cedat. *l. 16. ff. hoc tit.* si apud plures res sit deposita, adversus unumquemque eorum agi poterit, nec liberabuntur reliqui, si cum uno agatur; non enim electione sed solutione liberantur. Proinde si omnes dolum commiserint, & unus, quod interest, praestiterit, reliqui non convenientur, quod si unus vel nihil vel minus facere possit, ad reliquos pervenietur: idemque est, si conventus dolo non fecerit, atque idcirco absolutus sit. *l. 1. §. 43. ff. hoc tit.*

### XVII.

*Ejusque heredem, & quidem in solidum, etiam ex dolo defuncti l. 7. §. 1. hoc tit.* Quanquam enim

nim alias ex dolo defuncti non soleant heredes teneri, nisi pro ea parte, quæ ad ipsos pervenit, tamen contra heredem ex dolo Depositarii in solidum competit hæc actio, quia causam quidem agendi ex dolo nanciscitur, sed descendit ex contractu rei que persecutione. *d. l. 7. §. 1.* si plures plures heredes sint, singuli pro ea parte, qua heredes sunt, conveniri debent. *d. l. 7. §. 1.*

## X V I I I.

*Ad rem depositam in specie restituendam, & quidem incorruptam; nam, si res deposita deterior reddatur, quasi non reddita, depositi agi potest: cum enim deterior redditur, dici potest, dolo malo redditam non esse. l. 1. §. 16. ff. hoc tit. conferantur ea, quæ notata sunt §. 9. in fin. cum omni causa: quæcunque enim rebus depositis accedunt, licet illa deposita non sint, restituenda sunt, etiam fructus & partus. l. 1. §. 5. §. 24. l. 38. §. 10. ff. hoc tit.* Aliquando & usuræ in hanc actionem veniunt, si nempe quantitas sit deposita, modo tamen ex conventionem vel mora istæ usuræ debeantur. *l. 25. §. 1. l. 26. §. 1. ff. hoc tit.* Neque hoc mirum videatur, est enim hæc actio bonæ fidei; jam vero in bonæ fidei judiciis usu-

ræ debentur etiam ex pacto & mora. *l. 17. §. 4. l. 32. §. 2. ff. de usur.* Cæterum usuræ quoque præstandæ erunt, si Depositarius pecuniam depositam in proprios usus converterit. *l. 4. C. hoc tit.*

## XIX.

*Ad resarciendum damnum dolo datum:* hoc usque adeo verum est, ut nequidem pacto effici possit, ne dolus futurus præstetur. *l. 23. ff. de reg. jur.* est enim hujusmodi conventio contra bonam fidem contraque bonos mores, atque ideo nec sequenda est. *l. 1. §. 7. ff. hoc tit.*

Quæritur autem, an Depositarius etiam de lata culpa teneatur, quod a nonnullis negatur, quoniam in multis juris nostri locis dicitur, dolum solum esse præstandum; sed non obstantibus iis locis dicendum nobis videtur, etiam de lata culpa Depositarium teneri, quia lata culpa dolus est, & præsumptione juris pro dolo habetur. *l. 29. princ. ff. mand. l. 32. ff. hoc tit. l. 226. ff. de verb. signifi.* quin imo Imperator Alexander in *l. 1. C. hoc tit.* rescribit, dolum solum & latam culpam a Depositario præstandam esse.

Levem culpam præstare non tenetur Depositarius, nisi forte mercedem acceperit. *l. 5. §. 2. ff.*

*commod.* quo casu Depositorum esse desinit, ut vidimus jam §. 7. longe minus tenetur de culpa levissima, exceptis tamen quibusdam casibus, quales sunt 1. si pacto conventum sit, ut levissimam culpam præstaret Depositarius. *l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. de R. J.* 2. Si solius Depositarii versetur utilitas. *l. 4. princ. ff. de reb. cred.*

3. Si sponte se Deposito obtulerit. *l. 1. §. 35. ff. hoc tit.* De casu fortuito non tenetur quoque Depositarius, siquidem casus fortuiti in nullo bonæ fidei iudicio præstentur, secundum *l. 6. C. de pignorat. act.* Interim tamen dantur etiam casus, quibus plane de casu fortuito tenetur Depositarius, & quidem 1. Si nominatim hoc convenerit. *l. 23. ff. de R. J.*

2. Si Depositarius sit in mora restituendi Depositorum. *l. 12. §. 3. ff. hoc tit.*

XX.

*Actio Depositi contraria est, quæ datur Depositorio adversus Deponentem ad hoc, ut servetur indemnis: Tendit igitur hæc actio ad indemnitatem præstandam Depositorio; unde in hoc contrario Depositi iudicio in litem non juratur, & merito; non enim de fide rupta agitur, sed de*  
in-

indemnitate ejus, qui Depositum suscepit. *l. 5. princ. ff. hoc. tit.*

Quæritur autem, an Depositarius actione Depositi directa conventus jus retentionis habeat propter impensas in rem depositam factas sunt, qui existimant, ob nullas impensas, ne quidem necessarias, retentioni locum esse: inter eos est Bockelm. in *Comm. ad hunc tit. ff. num. 19.* Alii vero statuunt, Depositarium ob impensas necessarias retentionis jure gaudere, ob utiles vel voluptuarias non item. Ita sentit Vinnius *lib. 1. select. quest. cap. 51.* cujus sententia nobis præferenda videtur, quia ex *Collatione ll. Mos. & Rom. tit. 10. §. 2.* constat, sic veteri jure obtinuisse; neque apparet, hoc jus mutatum esse.

Dissentantem contraria Actio a Directa in eo, quod in hac reus suo nomine ob dolum damnatus fiat infamis. *l. 1. ff. de his qui not. infam. l. 10. C. hoc tit. in illa non item. l. 6. §. 7. ff. de his qui not. infam.*

Ex Depositio miserabili nascitur etiam Actio Directa & Contraria. Directa hoc solo differt ab actione Depositi simplicis Directa, quod in ea lis inficiando crescat in duplum, ut vidimus supra

supra §. 10. *Contraria* Actioni *Depositi* simplicis *contrariae* per omnia similis est.

## X X I.

Ex sequestratione nascitur *Actio Sequestraria Directa & Contraria*.

*Actio Sequestraria Directa* est, quæ finita lite datur parti victricis contra sequestrem, ad rem depositam, finita lite cum omni causa restituendam, præstandumque dolum & latam culpam. l. 5. §. 1. l. 12. §. 2. ff. hoc tit.

*Actio Sequestraria Contraria* est, quæ datur sequestri adversus victorem ad hoc, ut indemnis præstetur.

Cæterum hisce Actionibus explicandis eo magis supersedere licebit, quoniam in plerisque conveniunt cum Actionibus *Depositi* in specie sic dicti, & facile ex iis, quæ in §. 15. & seqq. proposita sunt, intelligi possunt.

F I N I S.

D

CO.

## COROLLARIA.

*Negotiorum gestor ordinario tenetur de culpa levis sima.*

I I.

*Bonæ fidei possessor non tantum industriales, sed & naturales fructus percipiendo facit suos.*

I I I.

*Obligatio naturalis, modo sit efficax, compensationi locum facit.*

I V.

*Invecta & illata in Prædium Rusticum tacito pignori non sub sunt.*